

# Editores lectori.



CCIPPE, benevole lector, ex typographia S. Joannis Evangelistæ Tornaci Nerviorum instituta, sacra Biblia latina ad fidem editionis Vaticanæ, quæ Clementis VIII. auctoritate anno MDXCVIII. Romæ prodit, diligentissime correcta. In multorum etenim votis cum esset, ut post doctissimi Caroli Verellone egregios labores nova editio fieret elegantioris formæ, quæ quum studiis ejusdem viri de S. Scriptura optime meriti, inniteretur, tum minori pretio posset comparari : hanc nostram editionem instituere non abs re visum fuit.

Atqui rationem, quam in hoc opere sequendam editores sibi proposuerint, ex gravissimis illis præceptis colligi libet, quæ Clemens Papa VIII. editioni suæ præmisit. Mandavit scilicet, *ut nemo hanc sanctorum Scripturarum editionem typis mandare præsumat, nisi habito prius exemplari in typographia Vaticana excuso: cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detraha, nisi aliquid occurrat, quod typographicæ incuriae manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur.*

Cujus præcepti si rationes quæruntur, haud difficile apparet, quam utile fuerit atque sapiens. Nihil videlicet aliud Summus Pontifex spectabat, nisi ut finem faceret ingenti illi inter innumeratas editiones discordiæ, qua, posthabitatis traditione et Ecclesiæ auctoritate, suo quisque arbitrio indulgere consueverat.

Unde nemini uspiam fas esse liquet, quidquam in vulgatae editionis lectionibus mutare. Quod ipsa quoque textus authenticæ notione atque sanctitate prohibetur, quippe qui ecclesiastica constitutus fuerit auctoritate. Hujus sane auctoritatis cum sit, Scripturarum integratati atque incolumitati providere, textus ab ipsa constitutus tamquam nobilissimum traditioonis documentum, summa custodia ac vigilancia conservari debet. Quamvis enim ex criticæ scientiæ ratione regulisque quædam mutanda nobis videantur, timendum est, ne forte ad ea pertineant, quæ consulto immutata reliqua sunt. (Præf. ad Lect.)

Quum denique ex summorum theologorum et doctissimorum virorum iudicio vulgatae editionis lectiones, ut nunc sunt, vel in rebus parvi momenti ac minutis caute et prudenti reverentia tractari mereantur, nuspia a Vaticana, authentica sc. editione, recedendum arbitrati sumus, nisi forte manifestum typographorum errorem adesse evidens demonstrabat ratio. Unde eam veluti certam sacri textus normam sancte omnino custodiendam duximus; nonnullas tamen lectiones, quæ in se spectatæ rectiores esse videntur, hic apposuimus, ex quibus, qua scrupulositate præcepta S. Sedis sequi studuerimus, omnibus appareat.

## Editio Vaticana.

Lectio emendata.	
II. Reg. 2, 8, 12.	. . . . . castra . . . . . Castra
III. Reg. 11, 2.	. . . . . Heithæus . . . . . Heithæus
III. Reg. 11, 26.	. . . . . Naba/h . . . . . Nabat
IV. Reg. 14, 7.	. . . . . petram . . . . . Petram
I. Par. 6, 71.	. . . . . Astharoth . . . . . Asfaroth
I. Par. 12, 3.	. . . . . Anathothites . . . . . Anathothites
I. Par. 25, 10.	. . . . . Zachur . . . . . Zachur
I. Par. 27, 28.	. . . . . Balanam . . . . . Balanaz
I. Par. 26, 32.	. . . . . Gadditis . . . . . Gaditis
II. Par. 29, 19.	. . . . . coram altare . . . . . coram altari
I. Esdr. 5, 6.	. . . . . Arphasachæi . . . . . Aphasachæi (cf. 4, 9)
II. Esdr. 11, 17.	. . . . . Idithum . . . . . Idithun
Judith 8, 22.	. . . . . Abraam . . . . . Abraham
Judith 15, 19.	. . . . . Joachim . . . . . Joacim
Esth. 2, 21.	. . . . . Bagatha . . . . . Bagathan
Ps. 47, 7.	. . . . . apprehendit eos. Ibi . . . . . apprehendit eos ibi
IV. Reg. 25, 13.	. . . . . Maacha/i . . . . . Maachathi etc.

Neque enim Vaticanæ editionis auctores novum aliquid recensque inventum cudere constituerant, neque nos similiter aliud quidquam spectavimus, quam ut editionem anni MDXCVIII. (cujus exemplar nobis præsto erat), ultimam scilicet earum trium quæ auctore Clemente VIII. prodierunt, quaque, adjunctis tribus Indicibus correctoriis, textus authenticus absolute conditus fuit, accuratissime redderemus.

Nullo sane modo ignorare potuimus, quanto pondere lectiones quædam fulciri soleant, velut illud *proficiens* pro *proficiscens*, quod 11. Reg. 3, 1, vel *affigentes* pro *affligentes*, quod Act. 2,23 reperitur; quæ quamvis satis nobis arriserint, privato nostro judicio aliam atque eam, quam textus Vaticanus offerebat lectionem, recipere ausi non sumus. Quoniam vero non minima laude, ut Ven. Cardinalis Bellarminus probavit, digni sunt viri docti, qui scientia ceterisque præsidiis satis instruti, ad genuinas etiam in minutissimis quibusque lectiones explorandas et stabiliendas suam operam conferunt, non rejicienda putavimus, quem quæ probatissimorum auctorum commentarii, tum quæ recentiores editiones aliæ emendationa continent. Inter quas illam præcipue editionem, quam auspice SS. D. PIO IX. cl. Carolus Vercellone curavit, sedulo conferre studuimus; præter alias, quæ in Gallia, Italia atque Germania maxima pollent auctoritate. His aliquis usi sumus in elucubrandis locis obscuris, in constituenda interpunctione, quoties scilicet timendum erat, ne sensus mutaretur, vel ubi major claritas nobis obtineri videbatur; in emendanda denique citatorum quæ vocant appositione, aliisque hujusmodi. Sæpius, si exemplo uti licet, invenies in editione Vaticanæ punctum cum sequenti littera minuscula; quod quidem in editione a Vercellone curata minime mutatum invenies, quamvis in multis majoris facile momenti rebus quædam innovare non dubitaverit. Unde, utrum sententia in priori phrasi omnino absoluta fuerit, haud raro ex fontibus, aut ex aliis editionibus vel commentariis eruendum erat. Praeterea ex typographorum incuria unum ex duobus interdum punctis excidisse constat. Quæ omnia levissimi vel potius nullius momenti, si rem ipsam spectes, inveniuntur; in majoris vero momenti rebus nullo unquam, ut diximus, prætextu vulgatam editionem rejecimus.

Superest, ut de aliis quibusdam, quæ in adornanda hac editione egimus, rationem reddamus.

Præfationes S. Hieronymi secundum Vallarsii versionem, utpote omnino receptam, emendatae sunt. — Nomina propria, quorum scribendi usus in vulgata editione minime sibi constans est, consulto mutare et ad certam regulam revocare ausi non sumus. — Bibliorum quas vocant concordantias seu locorum parallelorum indicationes, quoniam in editione Vaticanæ magna ex parte erroneæ erant, ex veterum more ad marginem appositas correxiimus atque auxiimus; quia ab Apostolica Sede *industria eorum non damnatur, qui ejusmodi et alia id genus in ceteris editionibus inseruerunt*. — Eadem de causa etiam titulos, quibus singula capita inscribuntur, retinendos esse putavimus *tamquam adjumenta pro studiosorum commoditate atque utilitate*. — Indices bibliicos, quos omisit cl. Vercellone, quasi intolerabilis tædii laborisque esset eos ut decet corrigere, incredibili labore purgare non abhorruimus, utpote quos multi concionatores, disciplinæ theologicæ studiosi aliisque valde desiderent.

Prodeat tandem nunc haec sacrorum Bibliorum editio, et uberrimos ferat scientiæ ac pietatis fructus, id quod S. Joannes Evangelista, patronus ille noster, qui divini eloquii flumen de ipso sacro Dominici pectoris fonte hausit et Spiritus sancti gratia inebriatus ceteris altius Divinitatis patefecit arcana, benigna sua apud sacratissimum Cor Jesu intercessione nobis obtineat, humillime precamur.

Tornaci Nerviorum, in Festo S. P. N. Benedicti 1885.

